



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

Bernardus <Claraevallensis>

Nevhsii, MDCLXXV.

Sermo XXXI. In Canticis. §. 10. tom. 3. pag.54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37156

SERMO XXIX. IN CANTICA.

§. 8. tom. 3. pag. 50.

Est enim sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligeret, & esset gratiâ plena. Aut certè pertransiuit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cuius pater est charitas, Deus parturiens, & in sole ponens tabernaculum ejus, ut scriptura impleretur quæ dicit Esai. 49. *Dedite in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Hoc enim impletum est per Mariam, quæ in carne visibilem edidit, quem invisibilem nec de carne, nec cum carne suscepit. Et illa quidem in tota se grande & suave amoris vulnus accepit: ego verò me felicem putaverim si summâ saltè quasi cuspidè hujus gladij punji interdum me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnere dicat etiam anima mea: *Vulnerata charitate ego sum.* Quis mihi tribuet in hunc modum non modò vulnerari, sed & expugnari omninò usque ad exterminationem coloris, & caloris illius qui militat aduersus animam.

SERMO XXXI. IN CANTICIS.

§. 10. tom. 3. pag. 54.

Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim Act. 15. *Fide mundans corda eorum.* Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit.

stodit. Quidquid sanè est illud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fideli sinu repositum, in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est Luc. 1. *& beata que credidisti.* Habuit & de Christi corpore umbram, quæ audivit, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nec enim vilis umbra, quæ de virtute Altissimi formatur. Et verè virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbravit, ut quod impossibile erat mortali sceminae, objectu tamen involucris vivifici corporis ferret præsentiam majestatis, & lucem sustineret inaccessibleem. Virtus planè, in qua omnis contraria fortitudo debellata est. Et virtus & umbra fugans dæmones, tutans homines. Aut certè virtus vegetans, umbra refrigerans.

SERMO XLII. IN CANTICA.

S. 9. tom. 3. pag. 70.

Sponsæ verò humilitas tanquam nardus spargit odorem suum, amore calens, devotione vicens, opinione redolens. Sponsæ humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor ejus nec reprehensione exterminatur, nec laude. Audierat Cant. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia.* Acceperat & repromissionem ornatus aurei & nihilominus tamen cum humilitate respondet: & quantò majorem se audit, tantò humiliat se in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes suas humilitatis obliviscitur, quam & humiliter confitetur sub nardi nomine. Ac si voce Virginis Mariæ Luc. 1. dicat: nullius mihi meriti conscia sum ad tantam dignationem, nisi quòd *respexit Deus humilitatem ancille suæ.* Nam quid est aliud, *nardus mea dedit odorem suum, Cant. 1.* quàm pla-